

Philiberti Dupanloup, episcopi Aurelianensis, ab infrascripto Sacror. Rit. Congregationis secretario relatis, indulsit ut episcopus orator, attentis quæ experitur oculorum et valetudinis incommodis, ad aliud quinquennium proximum delegare valeat suum in spiritualibus vicarium generalem ad consecrationem altarium immobilium in ecclesiis diocesis Aurelianensis, servato in omnibus Pontificali Romano. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 6 aug. 1865. — C. episc. Portuen et S. Rufinae card. PATRIZI, S. R. C. præf. — D. Bartolini, S. R. C. secret.

Idem episcopus gaudet alio indulto virtute cuius delegare potest etiam suum in spiritualibus vicarium generalem pro consecratione altarium portatiliam, sub hac notanda conditione quod illi, qui tunc primum delegatus est pro dicta consecratione faciendâ, non possit alius licet vicarius generalis sufficere. Unde vicarius generalis idem esse debet pro toto temporis curriculo in indulto præfixo, puta ad quinquennium.

ADNOTATIO XXXVI.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 38; pag. 164.

AN ALTARE FIXUM CONSECRATIONEM AMITTAT SI DE LOCO IN LOCUM TRANSFERATUR?

« Affirmant vel etiam supponunt id plures, inter quos Gonzalez in *Comment.* ad cap. *Si altare* hoc titulo, n. 15.... Attamen Barbosa ad idem caput, n. 12, cum Suarez et aliis inquit contrarium quod, si contingat altare fixum totum ac integrum transferri de loco in quo constructum fuerat in alium locum, per hoc non amittere consecrationem. Ratio est quia licet altare fixum in hoc differre videatur ab altari portatili, quod hoc sit transferibile de uno loco ad alium, ipsum vero non ita, proindeque fixum dicatur et immobile; tamen hæc differentia est mere extrinseca, accidentalis, et respectiva ad ipsum locum potiusquam inter ipsa altaria. Nam ratio formalis, per quam altare fixum intrinsece differt a portatili, proprie in eo consistit quod altare fixum habet ac essentialiter importat conjunctionem tabulæ cum sua structura inferiori seu basi, cui tabula proinde necessario debet esse unita; ubi econtra altare portatile de sui natura importat esse a basi sejunctum; propter hoc enim portatile est quia de se habet disjunctionem a basi, alias non esset amplius altare portatile sed fixum. Hinc essentia altaris fixi vere et proprie consistit in dicta conjunctione, hoc est in mensa seu tabula unita cum basi, fixationemque in tali loco ideo importat quia ibi ipsum voluit qui illud construere fecit: quod proinde ipsimet altari est quid extrinsecum et accidentale, poterat enim alibi istud idem construere. Quare cum altare supponatur eadem conjunctionem servare, tabulæ scilicet cum

basi, non obstante ipsius translatione de uno ad alium locum, dicendum est quod retineat suum esse ac per consequens et suam consecrationem quæ eidem accesserat; accessorium namque, cum fundetur super principali, naturam sequi congruit principalis, ex reg. XLII, *De regul. jur.* in 6. Propterea ut verificetur *ly mota*, non est necesse quod translata fuerit de uno in alium locum, sed sufficit quod fuerit a sua basi disjuncta, et sic per hoc altare nova indigeat consecratione. Hinc Glossa tum ad can. *Si motum* 19, *de Consecrat.* dist. 1, cum ad cap. *Ad hoc* 1, hoc tit. § *Altare*, Panormitanus, ibid. alique per *altare* intelligunt ipsam altaris tabulam quæ connexa est cum sua structura inferiori; per *motum* vero intelligunt advenientem disjunctionem ejusdem tabulæ, vel etiam lapidis consecrati ab ipsa inferiori structura, adeo ut sensus illius textus: « Si altare motum fuerit » sit iste: « Si ipsa tabula aut lapis consecratus altaris » disjunctus, seu disjuncta fuerit a sua inferiori » structura, » altare debet denuo consecrari. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 599, in medio.)

ADNOTATIO XXXVII.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 40; pag. 165.

RELIQUE NECESSARIO REQUIRUNTUR IN CONSECRATIONE ALTARIS.

« Queritur an ad consecrationem altaris, tum fixi, tum portatilis, necessaria ibi sit positio reliquiarum? Dico *ad consecrationem altaris*, nam eam requiri ad consecrationem ecclesiæ aperte colligitur ex can. 7. synodi generalis VII, prout card. Bona, *Rer. liturg.* lib. I, cap. XIX, § 5. Quoad altaria vero hanc necessitatem negant Panormitanus in cap. 1. *De consecr. eccl.*, n. 2, Pirhing, eod. tit. n. 26, Reiffenstuel ibid. n. 40; Suarez, Clericatus et alii quamplures...

» Ego nihilominus, innixus sequentibus decretis S. Rit. C. oppositum censeo. Pittonus enim t. I, *de Rit.* sic decisum refert die 5 mart. 1603: « Altare portatile tum consecrationem amittit quando » frangitur vel loco movetur repositorium reliquiarum. » Die 5 mart. 1623: « Celebrari non » potest super altare a quo furtim, non amota vel » fracta mensa, subtractæ fuerunt reliquæ a millibus, nisi altare de novo consecratur. » Accedit consuetudinem consecrandi etiam altaria cum reliquiis et ipsam antiquissimam esse ac inmemorabilem, eamque fuisse in usu penes D. Ambrosium aliosque Patres quarti sæculi, ac per eos fideliter ad nos transmissam, ut disertè ostendunt clariss. Abbas D. Robertus Sala in notis et addit. ad præf. § 5 card. Bona, ac doctissimus auctor operis *De sacramentar.*, tom. I, lib. V, quæst. 40, cap. 1, § II, quæst. 13...

» Neque dicas, tempore Clementis IX, indultum fuisse Augustano episcopo ut, absque nova consecrationis actione, pro consecratis haberentur altaria a Suecis militibus reliquiis spoliata, per hoc solum quod aliæ reliquæ in iis ponerentur, ut referunt card. de Lauræa in opusc. *De altaris consecr.* in fine, et Clericatus *De sacrificio missæ*, decis. XIII, n. 30. Ideo enim hoc quia ipsemet Summus Pontifex ea, qua pollet in hisce rebus, mere ecclesiasticis, plenissima auctoritate, alligavit pro eo casu actionem reconsecrationis eorumdem altarium ipsimet actui substitutionis aliarum reliquiarum. Et quidem rationabili ex causa, cum ageretur de reconsecrandis plusquam duodecim mille altaribus. Cæterum, cum in hoc alisque casibus, semper sancita legatur positio aut repositio reliquiarum pro consecratione aut reconsecratione, nedum ecclesiarum, verum etiam altarium, inde potius infertur reliquias ad id esse necessarias... Quantum denique ad consuetudinem consecrandi altaria, maxime portatilia, sine reliquiis, respondeo absum ac legitimæ potius consuetudinis corruptelam eam esse appellandam, cum non sit adeo difficile, sicuti supponitur, veras et exploratas reliquias invenire pro consecratione altarium. Et Pontificali præscriptum est vere ut reponantur in altari una cum ecclesia consecranda est. Quidquid propterea dicant præfati auctores, censeo non esse proprie consecratum altare absque reliquiis, ideoque non posse sacerdotem in eo tuto celebrare. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 599, in medio.)

ADNOTATIO XXXVIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 48; pag. 166.

DE BENEDICTIONE CAMPANARUM.

Episcopo petenti facultas delegandi simplices sacerdotes pro benedictione campanarum in ecclesiis diocesis a Sancta Sede concedi solet. Moderatus episcopus Aurelianensis ad hunc effectum habuit indultum virtute cuius potuit committere prædictam benedictionem, nedum vicariis generalibus et canonicis, sed etiam parochis et rectoribus ecclesiarum, sub ea conditione scilicet quod benedictio serventur adamussim ea omnia quæ in Pontificali romano præscribuntur, et insuper utantur aqua specialiter ad hoc benedicta ab episcopo diocesano vel ab alio quocumque communionem cum Sede apostolica tenente.

Illud concordat cum tenore sequentis indulti: « S. Rit. Congregatio, utendo facultatibus sibi specialiter a Sanctiss. D. N. Pio PP. IX tributis, Reverendiss. D. Petro-Ludovico Parisi, episcopo Atrebatensi supplicanti, ad quinquennium proximum facultatem prorogavit subdelegandi suos pro tempore vicarios generales aliosque sibi bene visos diocesis Atrebatensis sacerdotes in aliqua eccle-

siastica dignitate constitutos ad benedictionem notarum in usum ecclesiarum diocesis Atrebatensis, dummodo iidem adhibeant aquam ab episcopo oratore, vel alio episcopo pacem et communionem cum hac Sancta Sede habenti, ad hoc benedictam, et servant formam in Pontificali Romano præscriptam; contrariis non obstantibus quibuscumque. Romæ die 22 martii 1859. — C. Episc. Alban. card. PATRIZI, S. R. C. præf. — FI. Capalti secret.

Aliud indultum RR. DD. Lequette, episcopo Atrebatensi, die 23 julii 1866, diversum in aliquibus tenorem habet, scilicet: « ... deputandi pro tempore vicarios generales... ad benedictionem notarum recenter fusarum in usum ecclesiarum ejusdem diocesis Atrebatensis, sub hac conditione tamen ut sacerdotes ad hoc delegati adhibeant.... » (Ex archivio cancellariæ episcopalis Atrebat.)

ADNOTATIO XXXIX.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 54; pag. 168.

DE PRIVILEGIIS REGULARIUM QUOAD BENEDICTIONES RESERVATAS.

« Si ea excipias, optime animadvertit Giraldus, in quibus chrisma seu sacra unctio adhibetur, saltem ordinarie, ob communicationem in privilegiis, cætera possunt efficere generales religionum, provinciales ac superiores locales, ut videri potest apud Maschat, *Instit. canon.* hoc tit., n. 9; Cavalieri, t. IV, cap. XI, ad decret. 2, n. 3 et alios. Quinimo tot sunt bullæ pontificiæ privilegiorum, in materia communicationum regularibus concessorum, ut, nedum præfati superiores, verum etiam eorumdem vicarii in ipsorum absentia, imo et alius quilibet ejusdem ordinis sacerdos ad hoc ab ipsis delegatus eadem peragere posse dicatur. Unusquisque tamen consulat, attendatque propriæ religionis litteram privilegiorum, ne erret in hac materia; ista enim, ut dici solet, tantum valent quantum sonant.

ADNOTATIO XL.

Lib. III. Decretal. Tit. XL, § II, n. 58; pag. 169.

INDULTA QUOAD BENEDICTIONEM PARAMENTORUM PRO GALLIIS ANTIQUITUS CONCESSA.

In *Analect. jur. pontif.* serie VII, fascic. 57, 58 et 59, leguntur varia decreta S. Rit. Congregationis huc usque in vulgus non edita, inter quæ seligere placet nonnulla ad Gallias respicientia, ex quibus praxis ecclesiarum Galliæ, temporibus præteritis, evidentissime demonstratur.

I. LAUDUNEN. Sub supplicatione data ab episcopo

Laudan. et a Dataria Congregationi Sacr. Rit. remissa in qua episcopus petebat confirmari deputationem ab ipso factam in persona Nicolai presbyteri canonici et archidiaconi Laudunen. ut possit benedicere paramenta et reconciliare ecclesias pollutas, ita rescriptum fuit videlicet: Congregatio Sacr. Rit. censuit posse confirmari in omnibus delegabilibus et in quibus non adhibeatur unctio sacrorum. Die 29 januar. 1605. (*Analecta*, ibid. col. 41.)

II. EBORICEN. Congr. Sacr. Rit. visa supplicatione data pro parte officialis canonici ecclesie Eboricen. in qua, stante absentia episcopi, petebat licentiam reconciliandi ecclesias pollutas et benedicendi vasa et paramenta sacra, etc., prout in dicta supplicatione remissa a Dataria. Et audita relatione de præmissis facta ab Ill. et Reverendiss. cardinali du Perron, cui ab eadem congregatione hæc causa fuerat commissa, censuit gratiam petitam posse concedi, stante absentia episcopi ordinarii et distantia aliorum episcoporum, cum facultate benedicendi vasa, in quibus non adhibeantur olea sacra. Et ita declaravit, die 26 nov. 1605. (Ibid. col. 50.)

III. MASSILIEN. Cum decanus ecclesie Massiliensis, per supplicationem a Dataria ad S. Rit. Congregationem remissam, petierit indultum benedicendi paramenta ecclesiastica, ornamenta et vasa, in quibus non adhibetur sacra unctio, pro usu prædictæ ecclesie et aliarum illi subjectarum, stante absentia episcopi; eadem S. C. absente episcopo, per biennium gratiam petitam posse concedi censuit et declaravit, et ita, sub dicta supplicatione quæ parti restituta fuit, rescripsit. Die 14 januar. 1606. (Ibid. col. 52.)

IV. ROTHOMAGEN. Prior monasterii S. Petri de Gemeticis Rothomagensis diocesis indultum petiit benedicendi vasa et ornamenta ecclesiastica, et latius prout in supplicatione remissa a Dataria, sub qua congregatio ita rescribi iussit: Congregatio Sacr. Rit. censuit indultum posse concedi pro illis benedictionibus in quibus sacra unctio non adhibeatur. Et ita declaravit, die 18 nov. 1606. (Ibid. col. 63.)

V. NULLIUS CRUCIFERORUM. Prior generalis ordinis cruciferorum in Belgio, Francia et Germania qui octuaginta circiter conventus sub se habet quorum religiosi, propter eorum ab episcopis distantiam non sine magna difficultate et incommodo ipsos episcopos pro benedicendis paramentis et aliis rebus sacris adire possunt, petiit indultum benedicendi in dictis suis conventibus, et latius prout in supplicatione remissa a Dataria ad S. Rit. Congregationem, sub qua supplicatione ita fuit rescriptum videlicet: C. Sacr. Rit. censuit posse expediri præsens indultum pro illis benedictionibus tantum in quibus sacrum oleum vel sancta unctio non adhibetur, et ita declaravit, die 15 mart. 1608. (Ibid. col. 79.)

VI. RUTHENEN. Archidiaconus majoris ecclesie Ruthenen. stante episcopi absentia, et ob maxi-

mam ornamentorum et paramentorum ecclesiasticorum copiam, quæ in dies est necessaria, pro dictæ majoris et aliarum ejusdem civitatis ecclesiarum usu et necessitate, petiit sibi concedi et indulgeri ut, quotiescumque contigerit modernæ et pro tempore existentem episcopum Ruthenen. vacare, omnia et singula vasa et alia ornamenta et paramenta ecclesiastica ad divinum cultum pertinentia, in quibus tamen non requiratur unctio sacra, pro dictæ majoris ecclesie et quarumcumque aliarum tam secularium quam regularium ecclesiarum dictæ civitatis et diocesis usu duntaxat benedicere possit et valeat. Congreg. Sacr. Rit. censuit indultum petatum ut supra, stante episcopi absentia, posse concedi ad annum, seu per annum tantum. Et ita declaravit, die 9 maii 1609. (Ibid. col. 94.)

VII. MACLOVIEN. Vicarius generalis episcopi Maclovien. supplicavit prorogari sibi licentiam jam obtentam et expiratam benedicendi paramenta ecclesiastica. Et sacra congregatio concessit pro certo tempore, die 18 aug. 1629. (Ibid. col. 215.)

VIII. REMEN. Decanus S. Symphoriani Remen. diocesis, allegans distantiam suæ ecclesie a residentia ordinarii, supplicavit pro licentia benedicendi paramenta ecclesiastica et reconciliandi ecclesias pollutas. Et sacra congr. quoad paramenta ecclesiastica concessit pro usu suarum ecclesiarum, et quoad ecclesias pollutas pariter sibi subjectas concessit, dummodo non sint consecrata, et semper de consensu ordinarii. Die 15 dec. 1632. (Ibid. col. 249.)

IX. BISUNTINA. S. Rit. Congregatio concessit licentiam benedicendi ecclesiasticam suppellectilem, in qua non adhibetur sacra unctio, Claudio Blondeau protonotario apostolico ad triennium de consensu ordinarii. Die 6 dec. 1653. (Ibid. col. 321.)

Hinc videre est quantum ab antiquis traditionibus Ecclesiarum Gallie discrepet usus apud eas invecutus et in quibusdam adhuc obtinens, quo episcopi sine indulto apostolico delegant, nedum suos vicarios generales cum facultate subdelegandi, sed etiam quemcumque sacerdotem, et aliquando, ut nobis plene compertum est, omnes et singulos sacerdotes in globo, ad benedictionem sacre suppellectilis et ornamentorum in qua unctio non adhibetur. Licet D. Craisson, *Manuale totius jur. canonici*, Parisiis, 1863 apud Victor. Palmé, tom. III, n. 4470, scribat: « Summus Pontifex Pius IX mihi asseruit se dedisse omnibus episcopis facultatem delegandi meros sacerdotes pro benedicendis saceris paramentis et lintaminibus altaris; » hanc facultatem, tanquam omnibus generaliter concessam, in archivio nullius cancellarie episcopalis deprehendere potuimus. Invenimus tantum indulta personalia et impetrata ad formam sequentis:

« ATREBATEN. S. Rit. Congregatio RR. DD. Episcopo Atreb. supplicanti benigne ad quinquennium facultatem concessit subdelegandi suos pro tempore vicarios generales, dignitates et canonicos ecclesie

cathedralis, præpositos, archipresbyteros, parochos, ecclesiarum rectores, vicarios foraneos, aliosque sibi bene visos suæ diocesis sacerdotes, in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos, ad benedictionem ornamentorum et vestium sacerdotalium necnon sacre illius suppellectilis pro qua unctio non adhibetur. Romæ, 21 julii 1866. »

ADNOTATIO XLI.

Lib. III. Decretal. Tit. XLI, De consecratione ecclesie vel altaris, n. 6; pag. 172.

DE PRIVILEGIO ALTARIS PORTATILIS.

» Usus altaris portatilis, juxta plures cæterorum invecutus a temporibus apostolorum, non parum restrinxit Tridentina synodus. Siquidem Clemens XI in suo decreto, *Quoniam Sancta*, 15 dec. 1703, declaravit per Tridentinum revocata regularium privilegia ipso utendi, in eoque celebrandi absque ordinariorum licentia, in locis in quibus degunt, et propterea eosdem regulares prohibendos ne illo utantur, mandatque episcopis, aliisque ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis regulares, procedant, etiam tanquam Sedis apostolicæ delegati, ad pœnas præscriptas per idem sac. concilium cap. un. sess. XXII, usque ad censuras latæ sententiæ, tributa etiam iisdem facultate per hoc decretum ita procedendi perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset.

» Ulterius ibidem expresse declaravit episcopis et his majoribus prælatis, etiamsi cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub pretextu privilegii clausi in corpore juris, neque ullo quocumque titulo, ullo modo licere, extra domum propriæ ordinariæ habitationis, in domibus laicis, etiam in propria diocesi (quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi consensus diocesani adhiberetur), erigere altare, ibique sacros. missæ sacrificium celebrare seu celebrari facere.

» Quatenus tamen istud decretum episcopos tangit, sic postea fuit declaratum ab Innocentio PP. XIII, die 3 maii 1723, in bulla *Apostolico ministerii*, § XXII: « Declaramus tamen quod, cum in prædicto decreto statuatur non licere episcopis extra domum propriæ habitationis in domibus laicis erigere altare, ibique sacros. missæ sacrificium celebrare sive celebrari facere; hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis in quibus ipsi episcopi forte occasione visitationis, vel itineris, hospicio excipiuntur; ut nec etiam quando episcopi, in casibus a jure permissis, vel de speciali Sedis apostolicæ licentia absentes a domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis. His enim casibus licita erit erectio altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus ac in domo propriæ habitationis. » Et

hæc Innocentii declaratio confirmata postmodum fuit a Benedicto XIII, die 17 sept. 1724, const. *In supremo*. Notandum tamen hic est quod, cum privilegium sit personale episcopi et (ut ait Benedictus XIV in epistola data 2 junii 1751 ad primat. etc. Poloniæ) ad propriam ejusmodi commoditatem, nequeunt alii minores sacerdotes, eo absente, in talibus domibus privatis vigore ejusdem privilegii celebrare. » (*Giraldus, Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 599, in medio.)

Usque ad constitutionem Pii Papæ IX, *Quamvis peculiare*, die 9 februar. 1853, protonotarii apostolici ad instar participantum gaudebant privilegio altaris portatilis. Virtute prædictæ constitutionis illud privilegium sublatum est, cujus loco indultum oratorii privati suffragium, ibi: « Insuper protonotariis apostolicis participantibus privilegium altaris portatilis ratum habemus ac confirmamus, ea tamen lege ac conditione ut illud in alienæ habitationis domibus nunquam possint erigere, nisi ipsi occasione itineris sui hospitii gratia in iisdem domibus diversentur. Utique missa quam super idem altare portatile, decenti semper in loco erigendum, diebus etiam solemnioribus vel per se celebraverint vel per alium sacerdotem sæcularem seu regularem rite probatum celebrari fecerint, tum protonotariis ipsis, eorumque consanguinibus et affinis cohabitantibus, tum personis eorum famulati sui seu comitatui addictis, nunquam vero aliis personis, in ecclesiastici præcepti implementum suffragetur. Protonotariis vero ad instar participantium, qui jam creati sint vel in posterum creabuntur, idem altaris portatilis privilegium tollimus, eisque duntaxat concedimus indultum privati oratorii ab ordinario visitandi atque approbandi, in quo, etiam diebus solemnioribus in consanguineorum et affinium secum cohabitantium, necnon famulorum suorum præsentia, missam per se celebrare, vel per quemcumque sacerdotem sæcularem vel cujusvis ordinis regularem rite probatum celebrari facere libere possint et valeant. »

ADNOTATIO XLII.

Lib. III. Decretal. Tit. XLI, n. 22; pag. 177.

LITTERÆ APOSTOLICÆ PII PP. IX QUOAD MISSAM PRO POPULO.

Die 3 maii 1858, prodierunt litteræ encyclicæ incipientes *Amantissimi Redemptoris*, virtute quarum lex applicandi missam pro populo a parochis, omnibus et singulis diebus dominicis et festis, etiam suppressis, iterum et solemnioribus verbis affirmata et promulgata fuit. Illarum præcipuas partes et proprie præceptivas hic referemus:

« Hisce litteris declaramus, statuimus atque decernimus parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacros. missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere

tum omnibus dominicis aliisque diebus qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam qui, ex hujus apostolicæ Sedis indulgentia, ex dierum de præcepto festorum numero sublatis ac translatis sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII constitutio in pleno suo robore vigeat, antequam festi de præcepto dies imminerent et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatis dies, id unum excipimus ut scilicet, quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una tantum missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem missa, quæ præcipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

» Nunc vero paterni animi nostri caritate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui, ob assertam consuetudinem, memoratis diebus missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque præteritis omissionibus auctoritate nostra apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores qui peculiare aliquod reductionis, ut dicunt, indultum ab hac apostolica Sede obtinere, concedimus ut ipsi hujusmodi indulti beneficio perfrui pergant juxta tamen condiciones in indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paræciis quam in præsentiarum regunt et administrant.

» Dum autem hæc statuimus et indulgemus in eam profecto spem erigimur fore, venerabiles fratres, ut parochi majore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere gloriantur, serio considerantes uberissimam celestium præsertim munerum ac bonorum copiam, quæ ex hac incruenti divinique sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curæ commissam abunde redundat. Cum vero nos minime lateat peculiare casus contingere posse in quibus pro re ac tempore aliqua hujus obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciat velimus ab omnibus nostram concilii congregationem unice esse adeundam ad hujusmodi obtinenda indulta, illis duntaxat exceptis qui a nostra Congregatione fidei propagandæ præposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates. »

Quo magis eluceat mens zelantissimi Pontificis, hic subjungemus duo documenta ex archivio cancellariæ episcopalis Atrebatensis desumpta :

« Beatissime Pater. — Episcopus Atrebat. in Galliis, ad pedes S. V. humiliter provolutus exponit quod, juxta constit. Urbani VIII, *Universa per orbem*, et litteras vestras *encycl. Amantissimi*, diei 3 maii 1858, suæ diocesis parochi alique curam animarum habentes pro populis sibi respective commissis sacros. Missæ sacrificium fideliter offerant, tum omnibus dominicis diebus aliisque diebus qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam qui, ex apostolicæ Sedis indulgentia, de

serie dierum de præcepto festorum sublatis atque translatis sunt, quæ quidem obligatio, licet in se omni pietatis obsequio dignissima, ob varias tamen in quibus versantur circumstantias, parochis supradictis onerosa difficilisque effecta est. Non latet enim T. S. quod in Galliis nunc ob infaustissimarum rerum perturbationem quæ ultimo præteriti sæculi posteriores annos affectit, opera quæ vel religionis cultum, vel caritatem, vel animarum salutem spectant, non nisi promovente fortiterque adjuvante clero ad felicem exitum sint perducenda. Hinc fere semper ex parte parochorum, pro fidelium incitamento, impensæ aliaque multa sacrificia hujus generis, quibus perferendis vix ac ne vix quidem sufficiunt stipendia quæ ipsis vel ex gubernio vel ex populorum oblationibus obveniunt, præsertim ex quo, recentioribus hisce annis magis ac magis in dies increpat pretium omnium rerum victui necessariorum. Aliud insuper hic et nunc exurgit opus, denarium scilicet Sancti-Petri, cui promovendo et ubique per parochias dilatando allaborare exemplo præsertim suo gestit clerus in testimonium præstantissimæ erga Sedem apostolicam devotionis. Quocirca supradictus episcopus Atrebat. humiliter T. S. supplicat quatenus dignetur, pro sua benignitate et vi auctoritatis apostolicæ, 1^o obligationem supra memoratam pro populo offerendi, ultra omnes anni dominicas et festa de præcepto in Galliis, reducere ad quatuor sequentes festivitates scilicet Circumcisionis D. N. J. C., Purificationis, Nativitatis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V. quemadmodum pluries aliquibus diocesis concessum est; 2^o Si quod festum cui annexa prædicta obligatio occurrat in diebus quibus in civitate episcopali piis recollectionis annuæ exercitiis vocantur parochi, ab illa pariter eximantur; tum quia, durantibus illis exercitiis ab offerendo abstinere, tum quia non minimas subeunt impensas pro itu simul et reditu ad suas respective parochias. Cujus dum sperat felicem supplicationis exitum, Vestræ, Beatissime Pater, Sanctitati prosperos in summo Pontificatu et perlongos annos optat et precatur a Domino, B. V. humilimus atque obedientissimus servus et filius, 23 nov. 1860. »

Responsum fuit negative, his verbis :

« Reverend. Domine uti Frater. — Preces quas in litteris, die 23 nov. anni proximo elapsi, Sanct. D. N. Amplitudo tua obtulit ut obligatio missæ pro populo diebus e numero festorum de præcepto expunctis offerendæ a parochis tuæ diocesis imminuatur, juxta institutum hujus Sacræ Congr. Tridentino juri interpretando præpositæ, relatæ sunt eidem Sanctitati Sæ. Quæ porro non ignorans quot et quantis ipse, amplissime domine, virtutibus episcopalibus præfulgeas, optatis tuis libentissime obsecundare voluisset. At vero consideravit eam hac in re receptam esse ab apostolica Sede normam ut, quando aliquis hujusmodi adhibendæ indulgentiæ casus intercedat, parochi singulariter preces offerant, quibus, accedente episcoporum

commendatione, peculiare circumstantias exponant ob quæ oblati precibus annuere in Domino expediat. Neque enim mos est eas causas et impedimenta æqui bonique pendere quæ omnibus communia sunt, ne via sternatur fructibus intercipientis qui ab Encyclicis litteris diei 3 maii 1858 saluberrime profluxerunt. Quod vero scribis a parochis Atrebatensibus templo suo opus nuncupatum denarium Sancti-Petri hac via excitari ac promoveri, id ipse Sanctus Pater gratissimo benignissimoque animo ab iis qui stipem hanc sponte conferre velint ex omni catholici orbis parte excipit, attamen, ob hanc causam quæ caritatem continet, nollet plane ea opera tolli vel imminui quæ officii necessitas exposcit atque adeo præscribit. Quibus animadversis non dubitat quod ipse per te videas causas abs te allatas tanti ponderis haberi non posse ut exemptio detur a lege, pro cujus implemento tam enixe et impense nuperrime Sanctus Pater instituit. Quinimo quod parochi diocesis istius hætenus non sine laude fecerunt prosecutores esse posthac, te inculcante, confidit; neque enim latet salutarem hanc hostiam omnigenis a Deo impetrandis utilitatibus aptissimam esse et nominatim « pro » communi Ecclesiæ pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, pro militibus, aliisque » prout D. Cyrilli Hierosolymitani verbis usus aiebat ipse Sanctus Pater memoratis *Encycl. litteris incip. Amantissimi*. Hisce nomine Sacræ Congr. perscriptis, omne meum studium singulariter profiteor Amplitudini Tuæ, cui fausta quæque salutaria a Domino precor, *Amplit. tuæ uti frater*. P. card. CATERINI, præfectus. Romæ 28 febr. 1861. »

Qui duabus parochiis præficiuntur libenter colligent declarationem sequentem : « Beatissime Pater. Episcopus Aurelianensis ad S. V. pedes provolutus, humiliter exponit quod in diocesi Aurelianensi nonnulli, deficientibus heu! sacerdotibus, presbyteri duabus præficiuntur ecclesiis parochialibus, in quibus bis missam cantant diebus dominicis et festis feriatis in populo. Dubium ipsis est an missam celebrare teneantur specialem pro quolibet parochia diebus festis sed non feriatis in populo. Dominicis enim diebus et festis feriatis in populo nihil dubii est, siquidem bis tunc missam cantantes facile huic satisfaciunt obligationi. Ast diebus festis, sed non feriatis in populo, in quibus unicam tantum missam celebrant, possuntne illa unica missa satisfacere obligationi quæ ipsis incumbit pro duplici parochia? Num e contra tenentur dicere unam die festo pro una parochia et alteram postridie pro altera parochia? Notandum est quod unius tantum parochiæ fructus ratiunt suos, accipientes solummodo exiguum a gubernio supplementum (200 francos) pro altera parochia in qua non resident. Et Deus... — Die 16 jun. 1862. Sanctiss. D. N. audita relatione infra scripti prosecretarii S. Cong. conc. attentisque peculiaribus circumstantiis, benigne commisit episcopo Aurelian. oratori ut indulgere valeat ut unica missa

diebus festis suppressis celebranda, applicanda tamen pro plebe utriusque parociæ, satisfieri valeat ab enuntiatas parochis duplici obligationi, usque dum aliter a Sancta Sede declaretur; contrariis non obstantibus quibuscumque. P. card. CATERINI, præfectus. Petrus archiep. Sard. prosecretarius.

Die etiam 16 jun. 1862, in gratiam parochorum qui, bis missam cantantes diebus dominicis et festis, unam applicaverant pro omnibus diversarum parochiarum fidelibus, et pro altera perciperant honorarium, præfatus episcopus Aurelianensis aliud impetravit indultum vi cuius pro suo arbitrio et conscientia unicuique parochia absolutionem et condonationem quoad præteritum gratis imperitari potuit, cum onere tamen celebrandi unicam missam.

Die 14 dec. 1859, S. C. concil. ad dubia posita ab episcopo Petrocorensi et Sarlatensi sic rescribendum censuit :

« I. Utrum parochus infirmitate detentus et diebus dominicis aliisve festis ea de causa impeditus missam celebrare, teneatur per alium supplere his ipsis diebus, si adsit alius sacerdos; aut post recuperatam sanitatem missas omnes sic non applicatas offerre ipse pro populo? — Affirmative ad primam partem, et negative ad secundam.

» II. Utrum parochus iter aliquod die festo agens et eo die missam celebrare prohibitus, missam omissam altero die pro populo supplere teneatur? III. Utrum parochus, pia peragens exercitia secessus ecclesiastici quæ quotannis, jussu episcopi et quidem perutiliter peraguntur in seminario diocæsano, et, durante horum exercitiorum tempore, missam die festo aut dominico non celebrans, teneatur missas hoc tempore non oblatas pro populo deinceps supplere? — Teneri die statuta per alium, citra speciale indultum S. Sedis. »

Die 13 januar. 1858, in responso S. Congr. concil. ad episcopum Nanceiensem et Tullensem, declararunt EE. PP. « Juxta alias resoluta differri posse applicationem missæ pro populo ad diem sequentem, toties quoties die esto occurrat applicatio pro funere alicujus defuncti vel pro sponsis, nec aliud adsit sacerdos cui commode committi possit applicatio missa pro populo. » *Extract. ex synodo Cameracensi 17 sept. 1858, et Ord. div. offic. pro dioc. Lenom. anni 1861.*

ADNOTATIO XLIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XLI, n. 30; pag. 182.

DE LITURGIA ROMANA IN GALLIIS ETATE NOSTRA RESTITUTA.

Nobis esset in votis hic omnia documenta ad rem facientia fideliter inserere, sed, ut brevitati consulatur, præcipua tantum seligere cogimur.

Concilium provinciæ Remensis in Suessionensi civitate celebratum anno 1849, tit. III, cap. 8, si